

ciet preces pro Ecclesiæ & piorum necessitatibus.

SECUNDO monemur de Dei iustitia & æquitate, quia mundum gubernat & iudicat non modo summa cum rectitudine, vt nullis innocentibus pœnas infligat indebitas: sed & bonitate: vt plerunque fontes lenius, quam pro meritis puniat: sæpe etiam pluribus malis propter paucos bonos indulgeat, & ad tempus parcat, donec patientia eius ad malitiam non abutuntur. Sic Ierem. 5. propter iustum vel vnicum ciuitati se parsurum promittit. Id pertinet primo ad vindicandam Dei iustitiam & bonitatem à calumniis impiis impiorum, quasi immerentes iniuste puniat. Secundo, ad consolationem piorum, vt intelligamus, in quanto habeat pretio Deus non modo preces nostras, sed & nos ipsos, si iustitiæ studeamus: & mundum hunc deprauatissimum hætenus non stare aliis columnis, quam intercessionibus piorum. Alioqui iam pridem similem interitum merebatur eius malitia.

TERTIO monemur de nostra fragili-

tate, quod simus cinis & puluis, de qua & supra cap. 3. v. 19. Eius perpetuo memores, maxime in precibus absque superbia coram diuina maiestate nos supplices abiiciamus. Sine hac enim modestia sordent preces. Et quid sunt homines ad Deum collati? Quisquis autem videtur sibi aliquid esse, in Deum conuertat oculos, & protinus se nihil esse fatebitur.

QUARTO. De Satanæ tyrannide in reprobos, cum Deus manum subtrahit, & dat eos in reprobum sensum. Tunc enim præcipientes ruunt in omne genus scelerum, & exitium ipsum ad vnum omnes, Diaboli impulsu. Flagitia Sodomæorum erunt capite sequenti, & apud Ezechielem cap. 16. v. 48. alia insuper scelera ibi grassantia describit: superbiam, luxum, otium, & oppressionem pauperum. Hæc scelera vbi grassantur, certa indicia sunt instantis *καταστροφῆς*. Petamus igitur à Deo nos regi & defendi contra Satanam, frenemus nos ipsos, & donis Dei affluentibus sobrieturamur.

CAPITIS DECIMINONI.

Argumentum, Vtus, Partitio.

Narratur nunc consilij diuini prius reuelati Abrahamo de delendis Sodomæis exsecutio horribilis nempe quatuor ciuitatum nequissimarum cœlitus iramissa conflagratio atque subuersio. Quinta precibus Lothi seruat. Seruat & ipse cum suis ab angelis, qui tamen sua incuria ex vna Sodomæa in aliam incurrit. ebrius propriis filibus stuprum inferens: quo incesto concubitu duobus populis Moabitibus & Ammonitis ortum dedit. Pramittitur his sceleratissimum Sodomitici furoris exemplum, quo & illos extreme corruptos, & iudicium Dei iustissimum fuisse declaratur. Est ergo hoc iam alterum enorme nefanda malitiæ exemplum, & horrenda ira Dei aduersus peccata, respondens priori in diluuiis olim ante annos circiter 452. edito: nisi quod illud generi humano ac vniuerso pene mundo præter paucos seruatos vniuersalem *καταστροφῆν* attulit: hoc paucis ciuitatibus interitum aliquanto etiam horrendiorem conciliauit. Hi enim non aquis aut imbribus, vt olim illi, sed igne & sulphure cœlitus absumpti interierunt. Vtrumque nos commonefaciat de regula: Atrocitas delicta atrocibus puniri suppliciis: & scelera tragica tragicos sortiri exitus. Et est specimen futuri iudicij diuini, vt annotat Augustinus de C. D. lib. 16 c. 30. & Petrus: Fecit, vt essent exemplum impiis victuris. Simul vero hic erit admiranda Dei cura & prouidentia, qua suis adest, & malis eripit. Ac rursus etiam sceleratissimi lapsus exemplum in sanctissimo viro, quod nos & contra infidias Satana vigilare, & peccatorum illecebras cumprimis ebrietatem vitare doceat.

Partes